Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1029
Quelle:
Copyright:

lon. 1533. et 1540. *Ratisb.* 1733. et finitur: *gaudium praestabit aeternum.*

IV. *fol.* 163. p. 2. absque ulla inscriptione Particulae *Physicae* III. pessime exaratae, quarum prior ventilat Quaestionem: *Vtrum dispositio embrionis ad marem uel feminam in latere* (dextro) *uel sinistro consurgat ex caliditate et frigiditate in matrice.* Altera tractat de Generatione in hunc modum: *Embrio generatur ex duobus spermatibus in matrice commixtis* &c. Tertia quaerit: *An filius debeat assimilari patri proprio, et si non, que causa diuersitatis?* &c.

V. *fol.* 167. Homilia in Parabolam de Seminante, *Matth.* c. 13. quae incipit: *Dominus ac magister noster christus doctrinam suam more humane discipline plerumque proposuit* &c. et finit: *ad anagogen meritum ad premium gratiam et gloriam quam nobis prestare dignetur* &c. Citatur in ea plus vice simplici *Bernhardus.*

VI. *fol.* 172. absque inscriptione Dissertatio de Infelicitate *Saulis* ad consulendam *Pythonissam* delapsi, cujus initium: *Saul in tyrannum uersus ex principe cum exigentibus culpis esset a domino derelictus* &c. et finis: *Reges israel omnes reprobi extiterunt.* Citatur in ea non semel *Virgilius.* Ad calcem: *Explicit tractatus contra phytones editus per magistrum pollicratum.* Ignorantia Librarii *Pollicratum* hunc genuisse videtur. Audi conjecturam. Nosti *Job. Sarisberiensis Polycraticon.* Libro ejus VIII. sub initium c. 20. haec habentur: *Libellus tamen qui de* Exitu Tyrannorum *inscriptus est, quid de tyrannis sentiam, plenius poterit aperire.* Scripsit igitur Autor *Polycratici Libellum de Exitu Tyrannorum,* et is in perditis censetur. Dissertatio nostra, ut dixi, incipit: *Saul in tyrannum uersus,* et de ejus exitu pertractat. Quid restat, nisi, ut *Magistrum Pollicratum* dicamus *Job. Sarisberiensem,* et egregiam partem *Libelli* ejus *de Exitu Tyrannorum* in Codice nostro servatam gaudeamus.

VII. *fol.* 175. sub titulo: *Jeronimus super Psalterium,* brevior Psalmorum Expositio paginis omnibus magnam partem humore quondam contracto evanidis. Adscribam quaedam e *Ps.* I. initio: *Abijt stetit sedit. abijt terrenus homo cum per suggestionem recessit a deo. stetit cum delectatus in peccato. sedit cum in sua superbia confirmatus redire non potuit.* Finis *Ps.* CL. *ut in noua ierusalem deo laudes dicere ualeamus.* Post quae *Prologum* adscripsit Librarius, qui incipit: *Canticum psalmorum animam decorat. Inuitat angelos in adiutorium* &c. quae *Augustini* sunt, quo plurimum usus est ignotus Glossator noster. Fallit quippe Titulus, neque enim vel *Breviarium in Psalterium Pseudohieronymi*, quod ad calcem T. VII. *Opp.* rejecit *Vallarsius,* ante oculos habemus. *Prologus* porro memoratus ex variis aliorum Prologis consarcinatus est, habetque inter alia insertos illos Versiculos, qui inter *Damasi* Papae *Carmina n.* XV. partim *Damaso*, partim *Hie-*